



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Persius Caraccius Episcopus olim Larinen[sis].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

**I** Vssus dicere sententiam de honoribus Coelitem decernendis Beato Thomæ de Villanova Præsuli Valentino, si licet aliquid authoritatis adiungere tot iuratis testibus, de pia veneratione, quam innocentia vitæ, præclarissimis virtutibus, & rebus mirabiliter gestis apud posteros ipse promeruit: excitabo illius sanctimonie locupletissimum testem ex monumentis historicarum, amplissimum virum, iudicio eruditissimum Hieronymum Scripandum, Ordinis tunc Augustiniani decus, deinde huius sacri Senatus fulgentissimum sydus, & Sacr. Conc. Trid. integerrimum Præsidem. Is enim Generalis Præpositus, cum suas Prouincias in Hispania perlustraret, atque Hispalim peruenisset; adeo permotus fuit ingenti sanctitatis, doctrinæ, & eloquentiæ fama Magistri Fratris Thomæ, Burgis tunc temporis officio Prioris fungentis, vt incredibili cupiditate incensus audiendi eum virum, quem quarebat (vt ipse ait) anima sua, perhonorificis litteris illum accersierit Toletum, in quibus præcipuè miratur, quod cum distincta Spiritus Sancti munera variè diuersis sint dispersita; in eum tamen vnum omnia cumulatiuè collata esse dicerentur, vt idem esset eloquentissimus Diuini verbi interpret, & vitæ, ac sanctimonie tanta integritate, vt summos illos primos sui Ordinis Patres non sequi, se præ ire videretur; prænuntiatque à se repertum iri alterum Eliam zelo commotum pro Domino Deo exercituū, ad cuius oris verbum, post tenebras, lucem, & ventum, fieret pluuia super terram. At hæc, Beatissime Pater, quæ in eo tantopere Scripandus admirabatur, erant veluti prima (vt ita dicam) iam tum adolescentis sanctimonie in spiritu religioso rudimenta, atque in Episcopali postea munere strenuè administrando mirabiliter perficiendæ certissima documenta. Quem igitur, B. P., tantæ authoritatis Senator, omnibus muneribus sancti Spiritus cumulatum, & zelo Eliæ proximum nuncupauit, hunc coelestibus illis honoribus, quos Eliæ zelus promeruit, donandum esse à S. V. non dubitauerim.

Fran-